



## PRÆFATIO.



CCIPIAS, Lector, SPENCERUM de novo editum.  
Viro ipsi eruditissimo hoc *Opus aggredi*, in animo suis-  
se, ex verbis suis discere licet: In Libro enim Tertio,  
Dissert. 1. Cap. 9. pag. 716. (*a.d.b.*) provocat ad LI-  
BRUM QUARTUM. Illa etiam quæ *Editionem*  
*Priorem* claudunt, idem loquuntur: viz. "Cum jam  
librum hunc, de Ritibus Hebræorum divinitus institutis, ad umbilicum  
perduxerim; Lector expectat forsan, ut promissi fidem liberem, librum  
illum subjungens, cuius quandoque mentionem facio. Fateor equi-  
dem, initio consilium fuisse, libris hisce tribus, de Judæorum legibus  
ritibusque Deo auctori tribuendis, quartum addere, *De ritibus Hebreo-*  
*rum, in Scriptura plerunque, Canonica vel Apocrypha, memoratis; nullibi*  
*tamen, quod scimus, a Deo prescriptis aut institutis.* Huic etiam Libro,  
complementi loco, subjecere decreveram, Dissertationem singularem  
*De JUDÆORUM PHYLACTERIIS*, quorum originem genuinam  
nondum a Judæis aut Christianis compertam arbitror. Huic equi-  
dem Operi principio manum admoveare statui, quod Operi jam abs-  
luto cognatione non adeo remota conjungatur, &c. -----

"CUM autem hæc materia suum volumen postulet, & præter expe-  
ctatum excreverit libri jam scripti moles; in præsenti calamum meum  
ab hoc Argumento cohibere, consultum duxi. Posthac autem opus  
illud aggredi decrevi, modo proposito meo serviat opportunitas, &  
hæc eruditis haud prorsus ingrata reperiantur.

" ' Hoc unum superaddo & desino: si quis quicquam a me scriptum  
refutandum censeat, haud ægre latus sum; nam si quid veri scripsi,  
vincet Veritas: si quid falsi, vincat Adversarius.

S P E N C E R O vita functo, Libri Editi & Manuscripti fidei  
Reverendissimi Thomæ Archi-Episcopi nuper Cantuariensis com-  
missi sunt; qui Academiæ suæ non oblitus, Manuscriptos cum  
Editis, in plurimis locis paululum mutatis, & Quinquaginta Minis,  
Testamento legavit. Gratiae meæ ALMÆ MATRI debitæ sunt;  
quæ Senatus Decreto, copiam mihi fecit tum SPENCERI edendi,

I Hoc unum &c. addidit.